

terminum sese circumvolvunt, trahitque secum & stellarum Fixarum orbem, & Planetarum omnium sphaeras: Quamquam illae reluctabundae eò lentius aliae, celerius verò aliae trahuntur, quo primo illi orbi rapidissimo, vel propinquiores vel longinquiores fuerint. Juniores decimam adinvenerunt. Alii contra perpetuam rerum divinarum quietem in ista statuerunt: Ubi scilicet divini spiritus, piorumque animae assistant Deo, aeternaque omnino tranquillitate perfruantur. Sed scias inter Astronomos & Philosophos de Caeli Orbibus minime convenire, neque etiam de Planetarum situ & ordine: Sed nos haec tibi, ut à pluribus traduntur, exponentes, quaestiones in aliud tempus differemus.

Videatur
conismus I.

Difficultates
quae sequuntur
ex hoc Systemate.

Ad salvandum autem vel defendendum & conservandum hoc Systema, moverunt plerique Astronomi cum toto Peripateticorum cœtu, omnem lapidem, uti ex eorum scriptis & libris de Theoriis Planetarum ac Firmamenti longè latèque apparet, ibique videndum: quam diversas ac varias Planetarum sphaeras tam totales respectu singulorum Planetarum, quam partiales respectu cujusvis Planetæ, quarum numerus ultra 50 excrescit, statuerunt: Item quàm multos & varios Circulos, Locos, Epicyclos, Deferentes, Lineas, Centra & Eccentra, Motus, &c. Planetarum excogitarunt; Ita ut Planetæ, mediantibus singulis illorum sphaeris solidis & compactis, sese in gyrum & quidem super propriis centrīs irregulariter, regulariter autem super alio aliquo puncto moverent, atque sic per motus contrarios, quasi per spiras sursum ac deorsum mire inflecterent,

& tam ab ortu in occasum, quam eodem planè tempore ab occasu in ortum tenderent; Hinc modò veloces, mox tardiores currerent, nonnunquam etiam stationarii, & iterum post tempus aliquod retrogradi existerent. Ac quantò magis magisque Astronomi tractu temporis observationes instituerunt accuratiores, tantò plures sphaeras, circulos, lineas, centra & eccentra, ob nova & antea incognita phaenomena, constituere coacti fuerunt; Quà de causâ hæc doctrina de Theoria Planetarum in tantas difficultates abiit, ut non solùm difficillima intellectu, verùm etiam rationi humanæ planè adversa evaserit. Nam certè ex hoc Ptolemaico Systemate sequitur, quod unus idemque Planeta alio in ordine nonnunquam inferior, nonnunquam superior dici debeat. Ex. gr. quod Mars, aliàs (in Ptolemaico Systemate) constitutus supra sphaeram Solis, adeo sese demittat, ut perruptâ tam suâ quàm Solis sphaerâ (quod tamen propter dictam sphaerarum soliditatem impossibile) aliquando infra illam descendat, & ad Terram ipso Solari corpore, propius accedat, ac paulo post, supra id ipsum enormi intervallo exaltetur.

Ne dicamus jam de excogitatis illis, stellarum Fixarum diversimodis variisque motibus, cap. ant. 2. quodammodo commemoratis. Ex quibus & multis aliis similibus hujus Systematis inconvenientiis, incertitudo, deformitas & rationi contrarietas, fatis manifestè apparere, indeque de alio Systemate, per quod apparentiæ & cursus Stellarum ac Planetarum, rationi & naturæ magis consentaneæ efficerentur, cogitandi occasionem præbuit.

CAPUT V.

De Systemate Mundi Pythagorico, secundum Copernicum, in quo Sol ponitur pro centro hujus Mundi.

CUM itaque ex Ptolemaico isto Systemate, tot insanabiles defectus ac rationi contrariæ hypotheses sequantur; Ideoque Nicolaus Copernicus Torunensis, olim ante annos

circiter 100, medicinæ Doctor & Canonicus Frauenburgensis in Borussia, motus, dictam (cap. 1.) Pythagoræ Samii, Philolai & Aristarchi, ac eorum sectatorum sententiam, qui Solem in centro